



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

VIII. De existentia, & natura gratiæ habitualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

cum liberum illud sit, quod positus omnibus ad agendum prærequiritis, potest agere vel non agere, necesse est ut unus ex illis possit consentire, etsi alter non consentiat. *Respondeo* negando minorem quia etsi cum gratia & physice, & moraliter æquali uterque consentiat, aut uterque dissentiat; uterque tamen spectata gratia in actu primo, liber manet ad consentiendum, vel dissentiendum, proindeque etsi unus consentiat, alter dissentire potest, quod ad libertatem sufficit.

CAPUT VIII.

De existentia, & natura gratiæ habitualis.

RESOLUTIO I. *Præter gratias actuales, de quibus hæctenus actum est, admittendum est donum aliquod gratiæ divinitus infusum, quod post operationem in anima nostra habitualiter remanet.*] **PROBATUR** 1. ex Scriptura, quatenus ait 2. ad Timoth. 1. & 1. Cor. 3. Spiritum sanctum habitare in nobis; & Joan. 14. Deum in nobis mansionem facere. At Deus non potest habitare, & permanere in hominibus, nisi per donum aliquod habituale & permanens. Consentunt Patres quatenus de gratia sanctificante loquuntur, ut de pulchritudine quadam eximia, in anima habitualiter permanente,

Probatum 2. Nam homo denominatur justus, non tantum quando actu operatur, sed etiam quando dormit, aut nihil actu agit. Ea autem denominatio non est extrinseca, sed intrinseca, & per gratiam inhaerentem, quæ proinde debet esse habitualis.

Probatum 3. Nam per Baptismum justificantur non solum adulti, sed etiam infantes: hæc autem justificatio cum sit vera & interna, fit per gratiam veram & internam; quæ cum nequeat esse actualis, quia infantes non sunt capaces ullius motionis actualis in Deum, in habitu aliquo aut qualitate permanente consistere debet.

Quare.

Quæres, an prædicta resolutio sit de fide. Respondeo 1. ante Concilium Trident. eam non fuisse de fide, quia non satis evidenter continetur in Scriptura, & aliunde à nullo unquam Pontifice, aut Concilio fuit determinata, tanquam ex fide certa neque antiqui Scholastici reprobant ut hæreticam, sententiam Magistri Sententiarum affirmantis, charitatem habitualem non esse aliquid creatum & inhærens animæ, sed ipsam personam Spiritus sancti.

Respondeo 2. Ex probabili sententia, jam post Concil. Trident. esse de fide, siquidem multa ibi traduntur, quæ non possunt intelligi, nisi de gratia habituali, ut quod *sess. 6. cap. 7.* legitur eos qui justitiam Christianam acceperunt, debere eam ceu primam stolam, candidam & immaculatam conservare; & *can. 32.* Justum per bona opera mereri augmentum gratiæ, aliaque id genus, quæ etsi expressè non agant de gratia habituali, habent tamen verba æquivalentia. Accedit quòd Catechismus ejusdem Concilii tractatus de Baptismo, declarat à Tridentina Synodo fuisse definitum, gratiam esse divinam qualitatem in anima inhærentem; quod certè de actione aliqua intelligi non potest.

RESOLUTIO II. *Habitus gratiæ sanctificantis realiter à charitate distinguitur.*] **PROBATUR 1.** Nam nulla apparet repugnantia, quare non possit Deus producere formam quandam sanctificantem; realiter ab habitu charitatis distinctam. Ergo fatendum est id ita factum esse, cum Concilia, & Patres plerumque agant de gratia, & virtutibus infusis tanquam de rebus distinctis, quando docent in justificatione infundi gratiam, & virtutes, aut quid simile.

Probat 2. Nam cum gratia naturam perficiat, ut in ordine naturæ ponimus formam substantialem, & potentias agendi ab ea dependentes, ita in ordine supernaturali constituenda est forma aliqua

primaria & veluti substantialis, à qua habitus operativi tanquam potentia aliqua ratione pendeant. Illud autem munus non potest competere charitati, quia cum sit in voluntate, supponit tanquam priores habitus qui intellectum perficiunt. Ergo dicendum est dari habitum quendam gratia distinctum à charitate, aliisque virtutibus infusis, per quæ anima recipiat esse divinum, fiatque divinae confors natura.

Dices 1. Quicquid in Scriptura dicitur de gratia, dicitur etiam de charitate; ut quod per eam homines Filii Dei constituentur, spiritualiter regenerentur, &c. ergo gratia, & charitas non distinguuntur realiter. *Respondeo 1.* incertum esse, an prædicta intelligantur de charitate habituali, de qua tantum agimus; possunt enim commodè intelligi de actuali, eique tribui non ut formæ, sed ut perfectissima dispositioni. 2. Dato quod de habituali intelligantur, diceadum esse prædicta illi competere, non præcise ratione sui, sed quatenus cum ipsa gratia habituali inseparabiliter est connexa. Atque hæc distinctio applicari potest ad alia multa, quæ ex Patribus afferri solent.

Dices 2. Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* cum dixisset, unicam esse causam formalem nostræ justificationis, paulò inferius docet nos justificari, dum charitas diffunditur in cordibus nostris; ergo hæc est forma justificans. Non sequitur, quia aliud est nos justificari, dum charitas infunditur, aliud nos justificari per charitatem, tanquam per formam sanctificantem.

Dices 3. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: at nulla est necessitas ponendi gratiam aliquam habitualem, ab ipsa charitate distinctam: siquidem nulla est supernaturalis operatio, quæ in alias virtutes infusas commodè referri non possit. *Respondeo,* etsi eo titulo non sit necessaria gratia, ab habitibus operativis distincta; alia tamen ex causa ponenda videtur,

videtur, nempe ut hominem constituat in statu supernaturali, ex quadam congruitate præsupposito, ad habitus operativos ejusdem ordinis.

RESOLUTIO III. *Gratia habitualis ex natura sua augetur potest, idque in infinitum; augetur autem de facto in hominibus per bona ipsorum opera, ac proinde possunt homines quamdiu vivunt, ultiores in justitia & sanctitate progressus facere.*] PRIMA PARS PROBATUR

1. ex Scriptura *Apocalyps. 22.* Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc. *Eccl. 18.* Ne verearis usque ad mortem justificari, id est, in justitia progressus facere. 2. Ex *Trid. sess. 6. cap. 10.* ubi dicitur, Homines justificatos, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, crescere, atque magis justificari. 3. Ratione, nam cum gratia sit qualitas quædam supernaturalis, nihil impedit quin possit intendi, est enim proprietas qualitatis posse intendi; & aliunde supernaturalitas non repugnat intentioni, cum actus supernaturales sint magis, & minus intensi.

Secunda pars ostenditur, quia si gratia non potest in infinitum augetur, hoc oritur vel ex parte Dei, vel ex parte ipsius gratiæ, vel ex parte subjecti in quo recipitur; non primum, quia Deus cum sit infinite potes, gratiam semper intendere potest; non secundum, quia gratia est quædam naturæ divinæ participatio; hæc autem potest magis, ac magis in infinitum participari; non tertium, quia anima recipit gratiam, per potentiam obedientialem passivam, quæ nullum habet terminum.

Dices, si gratia augetur posset in infinitum, sequeretur dari posse gratiam majorem gratia Christi. Respondeo, id non esse absurdum, spectatâ absolutâ Dei potentiâ, & gratiâ Christi in ratione entis.

Tertia pars suadetur 1. Nam cum Scriptura hortatur justos ut ampliusificentur, & in charitate crescant, satis indicat gratiæ augmentum fieri debere per bona ipsorum opera. 2. Nam in Concilio

Tridentino *sess. 6. can. 24.* sic statuitur, Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.

Ubi nota 1. De lege ordinaria gratiam non augeri, nisi juxta proportionem meritorum; interdum tamen ex speciali privilegio contingere, ut Deus alicui conferat augmentum gratiæ, superans meritum boni operis. 2. Prædicta intelligenda esse de augmento gratiæ, quod fit extra Sacramentum, & appellatur ex opere operantis; certum enim est in Sacramentis conferri gratiam, & augmentum illius ex opere operato, seu supra dispositionem suscipientis.

Quarta pars ex dictis concluditur; nam cum gratia possit in infinitum augeri, eaque augeatur per bona opera, & homo quamdiu est viator possit bene, & meritorie operari, sequitur neminem esse adeo iustum, & sanctum qui ultiores in gratia, & sanctitate progressus facere non possit. Atque hoc aperte denotat Scriptura, cum hortatur quemvis iustum & sanctum indiscriminatim, ut adhuc justificetur & sanctificetur.

RESOLUTIO IV. *Gratia habitualis amitti potest, non tamen de lege ordinaria minui.*] PRIMA PARS est definita in Concil. Trid. *sess. 6. canone 23.* his verbis, si quis hominem semel justificatam dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere justificatum fuisse, &c. Anathema sit. *Ratio idem ostendit,* quia homo in hoc vitæ statu, etsi gratia præditus sit, non videt clarè Deum ut est summum bonum, ac proinde non ei immobiliter adhæret; sed potest ad arbitrium aliquod bonum apparens illi antepone, & sic peccando mortaliter gratiam habitualement amittere.

Ne autem quis putet, gratiam sola infidelitate amitti,

amitti, ut volunt hæretici, notanda est illa altera definitio ejusdem Concilii quæ habetur *can. 27.* in hæc verba, Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi, & enormi præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. Et ratio est, quia quodlibet peccatum mortale gravissimè Deum offendit, cum ipsi vilissimam creaturam præferat: quare hominem amicitia divina, adeoque gratia sanctificante indignum constituit.

Si quæras, quomodo peccatum mortale expellat gratiam. *Respondeo* primò, eam non expellere efficièter physicè, quia sic deberet producere formam aliquam positivam cum gratia impossibilem, quod non fit; quia peccatum nullam formam positivam producere potest, præter habitum quendam vitiosum; At habitus vitiosus non habet repugnantiam cum gratia, neque eam formaliter ab anima expellit; ut patet in plerisque justis qui pravus habitibus affecti sunt.

Respondeo 2. Eam expellere moraliter seu demeritoriè, quia ut ante dictum est, mortaliter peccans graviter Deum offendit, & inhonorat, eo quòd ab illo avertitur, & convertitur ad creaturam, tanquam ad ultimum finem; quare merito amittit jus quod habebat ad hæreditatem cœlestem, tanquam filius Dei adoptivus, & consequenter spoliatur gratia sanctificante, in qua tale jus fundatum erat.

Secunda pars ostenditur, quia si gratia habitualis de lege ordinaria minui potest, hoc fit per peccata venialia, bona siquidem opera eam augent, peccata verò mortalia eam totaliter destituunt. At peccata venialia non habent vim minuendi gratiam, tum quia neque illi repugnant, cum ex lege communi existere possint, in subjecto gratiâ valde intensâ ornato; neque merentur diminutionem illius, cum probabile non sit, Deum propter leviora

hæc peccata, justum velle privare augmento gloriæ essentialis, ut certè privaret, si propterea gratiam illius habitualem minueret; tum quia si gratia habitualis per peccata venialia remitteretur, tot ejusmodi peccata committi possent, ut tota tandem gratia evanesceret.

Dicas 1. Quantitatem gratiæ quæ deperditur per peccatum veniale, esse adeò exiguam, ut nunquam perveniatur ad ultimum gradum. Sed contra, nam contingere potest, ut gratia in aliquo sit valde remissa, & ille quotidie innumera peccata venialia committat; quidni ergo poterit hic homo, etiam, ultimum gratiæ gradum deperdere?

Dicas 2. Et si perveniatur ad gradum ultimum, eum per peccatum veniale non posse aboleri, quia peccatum illud non jam veniale, sed mortale esset, eò quòd mortem afferret animæ. At neque hoc placet, quis enim credat in eo casu, verbum otiosum fore peccatum mortale, propter nocumentum nullo modo intentum aut prævisum, sed invincibiliter ignoratum? Aliàs sequeretur, omnia justorum peccata esse mortalia, quia cum nesciant an gratia quam habent, per unum peccatum de se veniale possit tota destrui, quotiescunque ex advertentia vel leviter peccarent, exponerent se periculo amittendi totam gratiam, & consequenter peccandi mortaliter: unde singula eorum peccata quantumvis de se levia, propter ejusmodi periculum essent mortalia.

CAPUT IX.

De causis, & dispositionibus gratiæ habitualis.

RESOLUTIO I. *Deus solus est causa efficiens principalis gratiæ, & nullæ est aut esse potest creatura adeò perfecta, quæ sit causa principalis illius.* In primis quòd Deus sit causa, principalis gratiæ, nimis apertum est, quòd verò solus Deus de facto sit causa principalis illius patet, tum ex illo *Job. 14.* Quis potest facere